

destinatio ad bona tantum. Omnia quippe futura præscivit, electos autem tantum prædestinavit. Similiter et prædestinatio, quando pro dispositione accipitur, in respectu tamen præscientiæ parificari non potest, quia præscientia Dei et ad ea quæ facturus est pertinet, et ad ea quæ permissurus. Præ-

A destinatio autem ad ea quæ facturus est tantum. Ambrosius enim dicit : « Prædestinavit Deus impiorum gehennam, sed non prædestinavit, impiorum culpam. » Quod enim facturus fuit prædinavit, quod autem facturus non fuit, sed permissurus, non prædestinavit, sed præscivit.

DE QUATUOR VOLUNTATIBUS IN CHRISTO LIBELLUS

Quæris de voluntate Dei, et de voluntate hominis similiter. Christus Deus fuit, et ideo voluntas divina in illo fuit. Et quia etiam homo fuit, similiter voluntas humana in illo fuit. Non dico humanam quam culpa et vitium hominis facit, sed quam natura hominis requirit. Ergo in Christo divina voluntas fuit in quantum Christus Deus fuit; et similiter humana voluntas in ipso fuit in quantum ipse homo fuit. Humana autem voluntas tripliciter consideratur; secundum rationem, secundum pietatem, secundum carnem. Ergo in Christo voluntas fuit divinitatis et voluntas rationis, et voluntas pietatis et voluntas carnis. Voluntas divinitatis per justitiam sententiam dictabat; voluntas rationis per obedientiam, veritatem approbat; voluntas pietatis per compassionem in malo alieno suspirabat; voluntas carnis per passionem in malo proprio murmurabat. Vide an non omnia hæc in Christo. Ille leprosus qui sanitatem precabatur et majestatem confitebatur, potentiam voluntatis divinæ confessus est, dicens : *Domine, si vis, potes me mundare* (Luc. v). Et Dominus ut ejusdem voluntatis divinæ et sententiam et potentiam ostenderet propter sententiam ait : *Volo*, propter potentiam subjunxit *mundare* (*ibid.*). Hoc est exemplum voluntatis divinæ in Christo. Propter voluntatem rationis, quæ voluntati divinæ per obedientiam subiciebatur, dixit : *Spiritus quidem promptus est* (Matth. xxvi). Propter voluntatem carnis, quæ pœnam horrendo per infirmitatem passioni renitebatur dixit : *Caro autem infirma* (*ibid.*). Spiritus promptus erat per voluntatem rationis dispositionem divinæ voluntatis in passione carnis suæ sequendo. Caro autem infirma, per naturalem providentiam qua malum suum odire acceperat, passioni renitendo. Secundum voluntatem itaque deitatis in dispositione præcedentem, et secundum voluntatem rationis divinam dispositionem approbantem et subsequentem Christus pati voluit. Secundum autem voluntatem carnis, secundum quam naturaliter in quantum homo fuit, eandem carnem suam quia odio non habuit, pati noluit. Neque in hoc tamen divinæ voluntati contrarius fuit; quia et hoc ipsum quod noluit eum nolle divinæ voluntatis fuit.

B Erat adhuc alia voluntas in Christo, voluntas pietatis sive humanitatis. Nam ipsa pietas humanitas vocatur, et dicuntur humani qui pii sunt, et facile alienis miseris compatiuntur. Proprium est enim humanitatis compati et moveri pietate in miseria aliena. Bestia pati potest, compati autem humanitatis est proprium. Idcirco voluntas pietatis, voluntas humanitatis vocatur, quia hominis est pietate moveri. Et hæc similiter secundum naturam humanitatis in Christo invenitur. Cum appropinquaret Jerusalem *videns civitatem flevit super eam* (Luc. xix). Quare flebat si non dolebat? Ergo noluit quod doluit. Quid doluit? perditionem. Si doluit de perditione illorum, noluit perditionem illorum. Quomodo noluit? Secundum voluntatem utique divinam quod justum futurum erat, voluit. Secundum voluntatem rationis, justitiæ consensit, et justitiam approbavit. Porro secundum voluntatem pietatis sine odio justitiæ condoluit miseriæ, quemadmodum secundum voluntatem carnis justitiam non accusabat, sed pœnam recusabat. Unaquæque voluntas quod suum erat operabatur, et quod ad se pertinebat sequebatur. Voluntas divina justitiam, voluntas rationalis obedientiam, voluntas humanitatis misericordiam, voluntas carnis naturam. Neque alia alii contraria erat, sed unaquæque quod suum erat appetiit, ut quamvis ad aliud esset, alii tamen contraria non esset. Hoc est ut licet ad aliud velle haberet, ad aliam tamen nolle non haberet. Sicut enim divinitati natura erat justitiam non deserere, sic carni justum erat naturam servare: et pietati alienam miseriam non amare. Sic itaque in Christo voluntas fuit divinitatis, justitiam dictans; voluntas rationis, justitiam approbans; voluntas humanitatis, per quam nulli malum voluit; voluntas carnis, per quam sibi pœnam noluit. Justum itaque carni erat, quod passionem suam noluit, quia hoc erat secundum naturam, et justum Deo erat, quod passionem illius voluit; quia hoc erat secundum justitiam. Neque enim idcirco caro noluit, quia Deus voluit, sicut et Deus idcirco non voluit, quia caro noluit. Similiter et pietas quod secundum affectum compassionis in pœna vel perditione miserorum misericorditer noluit, nequaquam contra Deum id juste volentem no-

luit; sed quod suum erat amavit misericordiam, et tamen quod suum non erat non improbavit justitiam. Sane sciendum quod id quod caro mortalis timore passionis uritur, et pietas amore compassionis passibiliter movetur, præsenti tantum vitæ debitum est, in qua et malis compassio debetur, quandiu corrigi possunt; et bonis passio non tollitur quandiu meliores esse possunt. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem (I Cor. xv)*; tunc utique sicut carnem nec passio neque timor passionis ullius affliget; sic mens nulla ex compassione alieni doloris pœnam suscipiet. Illic quippe et caro habebit contra passionem securitatem, et anima habebit in pietate puritatem. Securitas carnis erit ex impassibilitate, puritas mentis ex veritate. Intellige quæ dico. Pati et compati utrumque pœna est. Pati datum est homini pro iniquitate; compati autem præceptum est pro bonitate. Justum est enim et æquum coram Deo, ut qui patitur compatiatur, ut per passionem deleatur iniquitas, per compassionem exerceatur bonitas. Hoc siquidem ad bonitatem pertinet vitæ mortalis, ut se in aliis conditioni suæ accommodet, et alienæ passionis per compassionem particeps efficiatur, ut sicut id quod patitur necessitatis est, ita id quod compatiatur opus sit bonitatis. Ubi autem pati non erit, compati non erit. Non tamen quia crudelitas erit in pœna aliena, sed quia cruciatus non inerit ex aliena miseria. Hic compati virtutis est; illic non compati, felicitatis. Hic compateris voluntate, moveris pietate, condoles bonitate. Hic non compateris felicitate, non moveris æternitate, non condoles impassibilitate. Sic itaque compati esse non potest, nisi illic tantum ubi pati esse potest, quoniam et ipsum compati, pati est. Sane qui illic pati non exuunt compati non deponunt; quia sicut pro sua iniquitate corruptibiliter patiuntur, ita pro aliena infelicitate secundum vitæ mortalis affectum carnaliter compatiuntur. Hinc est quod dives ille in tormentis positus pro fratribus sollicitatur, ut ei ad miseriæ cumulum accederet, quod cum in sua pœna etiam aliena miseria cruciaret. Abraham autem etiam cruciatum vidit, et tamen sive compassionis dolore in certitudine felicitatis persistens (*Luc. xvi*), eum per justitiam repulit dicens: *Fili, recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala (ibid.)* Hinc est etiam quod Psalmista prævidens quemadmodum in illo æternitatis gaudio corda justorum divinæ justitiæ per veritatis amorem immutabiliter inhærentia, non aliud appetere vel approbare potuerunt, nisi hoc solum quod secundum illam esse cognoscunt ait: *Introibo in potentiam Domini; Domine memorabor justitiæ tuæ (Psal. lxx)*. In hac autem vita ubi ejusdem divinæ justitiæ sententiam perfecte nec scire nec præscribere possumus, quædam etiam quæ secundum ipsam justa non sunt sine injustitia velle possumus; quia hoc solum ad nos pertinet ut ubi nescimus quid potius Deo placeat, hoc potissimum eligamus quod

pietati concordat. Ubi autem divinæ justitiæ sententia immutabiliter præfixa ostenditur, contra eam deinceps pietati locus non debetur. Quia si quid nos illic ex compassione tetigerit, vel ex vitio et affectui dominante, vel ex infirmitate corruptibilis naturæ passioni resistere non valente. Triplex enim compassionis modus est. Est quippe compassio, alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est quando affectus illic reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est quando ex insito sibi pietatis affectu animus alienis ærumnis condolet, quoties contra pietatis vel humanitatis mensuram naturam opprimi sive affligi videt. Compassio ex virtute est quando propter Deum alienis doloribus compatimur, cum scilicet vel justitiam premi vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio, culpabilis est? compassio ex natura, irreprehensibilis; compassio ex virtute laudabilis, prima reprehenditur, tertia laudatur. Secunda autem nec culpam habet, quia ex natura est; nec præmium, quia ex virtute non est. In hac ergo vita quandiu caro mortalis lædi potest passione, tandiu etiam animus mutabilis tangi potest compassione. Ubi autem utrumque veraciter impassibile erit, tunc profecto neque passio carni, neque compassio menti ulla inesse poterit. Nunc ergo mutabilitate sua bene utrumque utitur, si et caro in passione patientiam non deserit, et animus in compassione justitiæ mensuram non transcendit. Si igitur tempus compassionis quæris, quandiu pati possumus compati debemus. Si locum quæris, illic compassionis miseria exhibenda est, ubi adhuc passionis misericordia desperanda non est.

David, ægrotante filio, lacrymas fudit; mortuo faciem lavit (*II Reg. xii*), ut ostenderet quod tandiu compassionis miseria portanda est quandiu passionis misericordia desperanda non est. Est tamen quidam compassionis affectus qui naturam etiam perditam miseratione prosequitur, secundum quem in nostri generis similitudine sicut culpæ non corrigendæ irascimur ita naturæ non exstinguendæ miseremur. Nunc autem vita mortalis et mutabilitati subdita, interim pro parte miseriæ sustinet; sed postea ad incorruptionem translata deponet. Nunc infirma in utroque et passione videlicet in carne, et compassione in mente, tunc in utroque sanabitur, ut per immortalitatem carnis contra passionem, et per immutabilitatem mentis contra compassionem confirmetur. Sicut enim ægrotudo carnis est pati, ita ægrotudo mentis est compati. Propterea Deus homo, qui utrumque tollere venit utrumque toleravit. Suscepit passionem in carne; suscepit compassionem in mente. In utroque ægrotare voluit propter nos, ut in utroque nos ægrotantes sanaret. Infirmatus est passione in pœna sua; infirmatus est compassione in miseria aliena. Eousque passionem sustinuit, ut pro morituris moreretur, eousque compassionem suscepit, ut pro perituris lacrymaretur. Propter miseriam carnem suam tradidit ad passio-

nem, propter misericordiam animam suam turbavit ad compassionem. In carne sua doluit pro nobis patiando, in mente sua condoluit nobis compatiendo, et quemadmodum carnis infirmitas in ipso secundum affectum naturæ noluit pœnam suam, sic mentis pietas secundum affectum misericordiæ noluit miseriam alienam. Sicut enim calicem passionis secundum carnis voluntatem a se transferri postulabat, quem non transferendum præsciebat, sic sententiam condemnationis secundum pietatem aliis mitigari orabat, quam immutabiliter prævidebat. Pietas enim quod suum erat operabatur miserando, et ratio quod suum erat sequebatur divinæ dispositioni obediendo. Propterea nihil contrarietatis erat. Si Christus homo secundum affectum pietatis quam in humanitate sua assumpserat, aliquid volebat quod tamen secundum voluntatem divinam in qua cum Patre omnia disponebat futurum non esse præsciebat; quia et hoc ad veram humanitatem pertinebat, ut pietate moveretur, et hoc ad veram divinitatem pertinebat, ut a sua dispositione non moveretur. Itaque secundum utrumque fecit quod debuit. Neque ideo sibi contrarius fuit si secundum pietatem humanitati congruam voluit, quod secundum justitiam divinitati debitam noluit: quia et hoc velle, et illud nolle utrumque voluit. Scriptum est: *Jesus autem infremuit spiritu et turbavit semetipsum (Joan xi)*. Hic intendite: *Turbavit semetipsum (ibid.)*. Quomodo turbavit? Quæ fuit ista turbatio qua semetipsum turbavit Jesus? Pietas ipsa, miseratio ipsa fuit turbatio. Bona turbatio, bene turbabatur qui pietate movebatur? Turbavit seipsum. Miseratio turbavit eum, et ipse semetipsum turbavit, qui miserationem sponte

A suscepit. Sicut tradidit semetipsum, quando Judas tradidit eum: sic turbavit semetipsum quando miseratio turbavit eum. Notum est hoc et frequenti usu probatum. Dicitur homini quando aliquid patitur: Tu teipsum turbasti; tu tibi fecisti malum hoc. Sic Jesus semetipsum turbavit, quando miseratio turbavit eum quam sponte susceperat; et semetipsum tradidit, quando ille tradidit cui ad tradendum potestatem concesserat. Sic itaque Jesus in humanitate assumpta quandiu eam passibilem portare voluit secundum proprietatem humanitatis et passionem in carne et compassionem in mente portavit. In qua tamen modo ad immutabilitatem translata nec pati potest ad corruptionem, nec compati ad turbationem. Quoniam Christum secundum hominem novimus et patientem et compatientem novimus (*II Cor. v*). *Defecerunt, inquit, sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt (Psal. ci)*. Dies defecerunt propter passionem; ossa aruerunt propter compassionem, propter passionem mortua est caro, propter compassionem arefacta est anima. Dolor compassionis quasi frixura quædam animæ fuit, qua urebatur miseratione, premebatur compassionem, siccabatur desperatione; desperatione dico non propter se, sed propter illos, qui nec in malo corrigendi, neque a malo erant liberandi. In his omnibus Christum secundum carnem novimus quando veram humanitatem et in vera humanitate veram portavit mortalitatem (*II Cor. v*). Nunc autem eam secundum carnem non novimus, postquam *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod autem vivit, vivit Deo (Rom. vi)*.

DE SAPIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

AN ÆQUALIS CUM DIVINA ERIT.

PRÆFATIO.

Prudenti ac religioso verbi divini inter cæteros et præ cæteris scrutatori G. Hugo peccator. Aliquoties accidisse comperi, ut rerum difficilium tractatione aut insipientia relatoris auditorem corrumpere, aut temeritas auditoris relatores infamaret. Quapropter æque cavendum mihi videtur, ut potissimum illic ubi sine periculo aliud sentiri non potest, nec facile nostra præsumamus asserere, nec aliena temere judicare. Novi enim « quanta, » ut dicit beatus Augustinus, « somnia cor humanum pariat; » atque eo judicio quo in sui cognitione fallitur, cætera quoque quæ præter ipsum sunt, non recte conspiciuntur. Quid enim hoc esse putatis, quod de rerum veritate tam diversa sentire solent homines?

D unquid nomina est veritas? Ecce (ut interim de Deo taceamus) quid est quod dialectica tot diversas et tam adversas, ne dicam perversas habet sententias? Nunquid omnes noverunt unum id quod est, sed amore fallendi diversa finxerunt? Non sic ego puto. Sed narrant quique somnia sua, et ea qua primum ipsi in se opinione decepti sunt postmodum alios nescientes seducunt. Et sicut beatus Job amicis suis arrogantibus et de se plusquam oportebat præsumptibus dicit (*Job. xii*), jam non solum secundum morituram, sed exortam quoque a se sapientiam putant. Dignum ergo est ut id ipsum in nostra nos assertionem reddat timidos, quod in unius assertionem veritatis tot jam videmus esse diversos. Quia enim de longe veritas videtur, diversa judicia parit, et tantum de ipsa quisque potest, quantum